



Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1678

Executio sententiæ contra quosdam hæreticos latæ ab Archiepiscopo
Narbonensi & Iohanne de Belna Inquisitore hæreticæ pravitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14688

firmationem omnium prædictorum me subscripsi,
& signum solitum apposui.

EXECV TIO SENTENTIÆ
contra quosdam hæreticos latæ ab Archie-
piscopo Narbonensi & Iohanne de Belna
Inquisitore hæreticæ pravitatis.

Anno Domini millesimo trecentesimo nono decimo, Domino Philippo Rege Franciæ & Navarræ regnante, die quattuordecima Octobris Noverint universi quod cum Reverendus in Christo Pater Dominus Bernardus divina providentia sanctæ Narbonensis Ecclesiæ Archiepiscopus & frater Iohannes de Belna Inquisitor hæreticæ pravitatis à sede apostolica in regno Franciæ deputatus, sedentes pro tribunali in cimiterio Ecclesiæ sancti Felicis Narbonensis, diffinitivè pronuntiantur Magtarellum de Brandis, Petrum sartorem de Fraxino, & Bernardum Raimundi de Monesco de Tolosa hæreticos fore, & ipsos reliquerint curiæ seculari, prout in processibus & sententiis in eosdem prolatis plenius continetur, cumque etiam ipsius Domini Archiepiscopi curia temporalis Narbonensis, seu nobilis vir Raymundus Auterij dominicellus Vicarius ipsius, dictos hæreticos ad manum suam cepisset, & juxta legitimas sanctiones, ut dicebatur, deberet fieri executio de eisdem, necnon propter debatum quod esse dicebatur super dicta executione facienda inter dictum Domini Archiepiscopum & curiam quæ dicitur communis Narbonæ, ordinatum fuisse diceretur per magnificum virum Dominum Iohannem Comitem Foresi ad partes linguae occitanæ pro reformatione

Vide Nico-
laum Eymeri-
ci in Direc-
tor. par. 2. q.
15.

O ij

patriæ auctoritate regia destinatum quod ista vice de
prædictis hæreticis hodie judicatis Narbonæ execu-
tio fieret per eundem Dominum Comitem nomine
Domini Regis, tamquam per manum superiorem,
sine præjudicio cuiuscunque, prout hæc & alia in dicta
ordinatione latius contineri dicuntur, prædictus
Dominus Vicarius dicti Domini Archiepiscopi pro
executione facienda de hæreticis supradictis, fal-
lo semper jure dicti Domini Archiepiscopi, cui
per hoc non vult nec intendit in aliquo derogare
tradidit seu dimisit dictos hæreticos in manus
nobilis viri Domini Iohannis Berenguarij hostiarum
armorum & Vicarij Biterrensis Domini Regis, no-
mine dicti Comitis reformatoris prædicti, tam-
quam in manu superiori, juxta formam ordinatio-
nis prædictæ, absque præjudicio Domini Archi-
episcopi prædicti & suæ Ecclesiæ Narbonensis, re-
quirens sibi fieri publicum instrumentum. Et dictus
Dominus Vicarius Biterrensis Domini Regis,
dicens se ad hoc deputatum per Dominum Comi-
tem supradictum, prædictos hæreticos pro ex-
ecutione facienda ista vice ad manum dicti Do-
mini Comitis, nomine Domini Regis, tamquam
in manu superioris, absque Domini Regis, ut di-
xit, & Domini Archiepiscopi supradicti & alterius
cuiuscunque præjudicio, recepit, requirens de præ-
dictis omnibus sibi fieri publicum instrumentum. Et
ibidem existens discretus vir magister Nicolaus Ri-
comanni jurisperitus, procurator generalis Domi-
ni Archiepiscopi supradicti, protestatus fuit de ju-
re dicti Domini sui, quod, ut dixit, voluit ubique
durare & servari illæsum, non consentiens prædic-
tis in quantum juri dicti Domini sui præjudicare
possent, requirens de prædictis omnibus sibi fieri
publicum instrumentum. Acta fuerunt hæc Nar-
bonæ extra muros civitatis ejusdem, juxta cimita-

tium Ecclesiæ sancti Felicis, in præsentia & testi-
monio Domini Petri Bergundionis Presbyteri de
Capitestagno, Guillermi de Pomaribus Subvicarij
curiæ archiepiscopalnis Narbonensis, Bernardi Ray-
nardi Vicarij Capitistagni &c.

LITTERA MAGISTRORVM
in theologia infracriptorum, qui articulos
infracripts de postilla fratris Petri Iohan-
nis Olivi quondam ordinis Minorum facta
super Apocalypsi extractos diligenter exami-
naverunt, & ipsos tam temerarios quam
haereticos judicaverunt.

SAntissimo Patri ac Domino Domino Iohanni
divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac uni-
versalis Ecclesiæ summo Pontifici frater Guido
Prior generalis fratrum ordinis beatæ Mariæ de
Carmelo, frater Bertrandus de Turre Minister pro-
vinciæ Aquitaniæ ordinis fratrum Minorum, fra-
ter Guillelmus de Lauduno Lector sacri palatij or-
dinis Prædicatorum, Nicolaus de sancto Iusto De-
canus sancti Quintini, frater Laurentius Anglicus
ordinis sancti Benedicti, frater Simon Anglicus
ordinis supradiæti sanctæ Mariæ de Carmelo, fra-
ter Arnaldus Rojardi ordinis fratrum Minorum,
frater Petrus de Palude ordinis fratrum Prædica-
torum, in sacra pagina magistri, pedum oscula bea-
torum. Sanctitati vestræ, Pater beatissime, facimus
manifestum quod Reverendus Pater & Dominus
Dominus frater Nicolaus Episcopus Ostiensis, cui
per eandem sanctitatem vestram commissa fuit exa-
minatio postillæ cujusdam quam quondam frater
Petrus Iohannis de provincia Provinciæ super li-

O iij